



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

LX. Praeceptum Karoli Calvi pro Teodtfredo filio Ioannis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

meliorem semper obtineat vigorem, de anulo nostro subter iustissimus sigillari.

Deomarius Notarius ad vicem Ludovici recognovit.

Data XIV. Kal. Iunij Indictione VII. anno IV. regnante Karolo glorioso Rege, in monasterio sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei nomine feliciter. Amen.

## L X.

*Præceptum Karoli Calvi pro Teodofredo filio Ioannis.*

An. 844.  
Ex archie-  
piscopi  
Narbonen-  
sis.

**I**N nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex, si fidelium nostrorum petitionibus benignum commodam assensum, regiam exercemus consuetudinem, & hoc postmodum iure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris presentibus atque futuris quia quidam fidelium nostrorum regni Septimaniæ Vassus noster, nomine Teodofredus, nostris obtulit obtutibus auctoritatem avi nostri Karoli, qua continebatur qualiter patri suo, nomine Iohanni, præscriptus bonæ memoriæ avus noster Karolus concesserat villarem ad laborandum qui vocatur Fontes, cum omni sua integritate, & quantumcunque ille in Fontejoncosa de heremi vastitate traxit cum suis hominibus. Ostendit etiam nobis epistolam Domni & genitoris nostri Hludovici piissimi Augusti ad Sturmionem Comitem directam ut prædictam villam, id est Fontes, memorato Iohanni absque ullo censu & inquietudine habere dimitteret. Propter quam epistolam avus noster Karolus, ut in sua auctoritate continetur, illi fieri iussit hoc. Unde & prædictus fidelis noster nostram deprecatus est misericordiam ut nos denuo prædictam villam, quemadmodum Dominus avus noster Augustus ac serenissimus Augustus genitor noster patri suo per eorum litteras confirmaverunt, nos denuo illi cum sua integritate vel termino confirmare dignemur. Quapropter & has litteras nostras illi fieri iussimus; per quas volumus atque firmamus ut prædictus qui moderno habet fidelis noster Teodofredus prædictam villam Fontes perpetuo tenere, habere, & absque ullius inquietudine possidere. Et condono tibi quid pater tuus aut Vvilmirus vinctulus tuus aut homines illorum in villa Fontejoncosa habuerunt per aprifione cultum vel incultum . . . . . tu fecisti sive feceris cum homines tuos, absque paratas aut veredos, & habeas, necnon posteritas tua, absque censu. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firma valeat permanere, de anulo nostro subter eam iustissimus sigillari.

Tonas Diaconus ad vicem Hludovici recognovit & subscript.

Data Non. Iun. anno IIII. Indictione VII. regnante Karolo gloriosissimo Rege.

Actum in monasterio sancti Saturnini prope Tolosa in Dei nomine feliciter. Amen.

Tom. II.

## L X I.

*Item aliud pro monasterio sanctæ Grate in diecesi Vrgellensi.*

**I**N nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex. Si illius amore cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, petitionibus servorum Dei iustis & rationabilibus annuimus, & loca divino famulatu consecrata congruis munificentia nostræ beneficiis ad divinum cultum uberius exequendum opem ferimus, præmium nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur notum esse volumus cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris presentibus atque futuris quia Geila venerabilis Abba ex monasterio quod dicitur sancta Grata, quod est situm super fluvium Bolegia, constructum siquidem in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostris obtulit obtutibus auctoritatem Domni & genitoris nostri Hludovici serenissimi Augusti, qua continebatur qualiter prædictum monasterium, cum cellula sibi subiecta, que dicitur sancti Fructuosi, & villa que dicitur Serras, cum suo terminio, Possedonius Episcopus de heremi vastitate ad culturam frugum perduxisset. Et postmodum veniens in memorati genitoris nostri præsentiam, prædictum monasterium contulit ut sub defensione atque mundeburdo piissimi genitoris nostri confisteret, & perpetuo ibidem Domino monachi famularent, ita ut nullius ditioni subditi essent nisi solius Dei, & semper sub defensione atque immunitate Regis confisterent. Unde & memoratus Augustus, ob deprecationem Matfridi Comitis prædictique Episcopi Possedonij, prædictum monasterium per immunitatis suæ præceptum sub sua defensione atque protectione suscepit. Quapropter supra scriptus Abba Geila nostram deprecatus est clementiam ut nos denuo prædictum monasterium, cum monachis ibidem Deo famulantibus, & cum omnibus rebus quæcunque, sicut diximus, ipsi de heremo traxerunt, sive quorumlibet religiosorum hominum Deumque timentium hominum illuc contulerunt, ibidem iuste legaliter pertinentibus, sub nostra tuitione atque defensione recipere dignemur. Propterea has nostræ auctoritatis litteras prænominato Abbati suisque monachis ex prædicto monasterio fieri iussimus; per quas fidelibus nostris notum fieri volumus memoratum monasterium cum præfata cella & eorum omnibus appendiciis vel cunctis rebus, sicut Domni & genitoris nostri fuit, nostrum proprium esse, & sub nostra semper defensione atque tuitione consistat, ut nullus Episcopus aut Comes vel Missus discutrens ibi aliquam dominationem aut tyrannidem potestatem exerceant, nisi quemadmodum canonica auctoritas iuber, nec aliquam redhibitionem aut inlicitam occasionem illis inferre præsumat. Et ideo quia præfatum monasterium, sicut sub potestate Domni & genitoris nostri consistere visum est, modò sub nostra tuitione esse dinoscitur, concedimus monachis sub sancta regula ibidem degentibus ut post præfati Abbatis successorumque ejus discessum licentiam habeant

An. 844.  
Ex archie-  
vo Ecclesiæ  
Vrgellen-  
sis.

Y Y y y ij